



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Peccatis Et Gratia, Fide, Spe, Et Charitate

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

§. IV. Quomodo sumpta bonitas prima, est motivum Amoris proximi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82969](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82969)

Metaphysicus Deum esse summè bonum, quam prælucescentiam, non est cur sequi non possit amor, præcipuè cum à summo bono amando qua tali, nulla habeatur retractiva ratio. Tum quia, si non potest dari amicitia in Deum naturalis, possemus scire nos nō manere in morte, tunc scilicet, cum experimur nos moveri in Deum, propter illius bonitatem. Tum quia, Pius V. & Gregorius XIII. damnant hanc 34. propositionem Bai. distinctio illa duplicis amoris naturalis, videlicet, quo Deus amatur ut Auctor naturæ, & gratiæ, quo Deus amatur ut beatificator, est vana & commentitia, & ad illudendum sacris literis, & plurimis veterum Testimoniis excogitata.

PRÆMITTO II. *Amorem amicitia naturalem & supernaturalem posse habere idem motivum.*

RATIO. Quia vidimus aliàs, actum Naturalem & Supernaturalem motivis non distingui.

PRÆMITTO III. *Amorem amicitia intendere bonum amati, amorem autem concupiscentia intendere bonum amanti.*

Ad solvenda Objectiones contra hæc Præmissa.

NOTO I. Quod huius amoris duplicis non meminerint PP. esse locum non nisi ab Auctoritate Negativa: nec erat necesse Patribus distinguere hos duos amores, quia agebant non nisi in subiecta materia: hoc est, de amore sequente fidem, hic autem est supernaturalis. Ad id etiam potest, meminisse æquivalenter PP. istis distinctionis: quia agunt de amore per gratiam, sicut oportet ad salutem. Denique si huic Auctoritati negativæ, præcisè stari debet, etiam distinctio duplicis amoris, admissa à Papa non teneret.

NOTO II. Quamvis non possit in Deo distinguere duplex amabilitas propter se: non enim apparet unde desumeretur illius multiplicatio; poterit tamen dari duplex amor naturalis & supernaturalis; desumendo illius multiplicationem ex diversis principiis.

NOTO III. Possè elici actum amoris naturalis sine auxilio in entitate supernaturali, quamvis fiat ex gratia cum addito, hoc est, ordinis naturæ de qua aliàs actum. Quæ autem sit oppositio huius amoris naturalis cum peccato, dictum in materia de prenit. An actus sanctificet. *His Præmissis*

ASSERO I. *Quod Caritas amans Deum propter illius bonitatem, non amet illum solum prout est principium supernaturalium; est Assertum Scoti. Gabr. & post illos Korinck disp. 21. num. 10.*

RATIO. Quia amor charitatis, tendit in bonitatem Divinam, per quam Deus ultimò intrinsecè perficitur: formalitate autem principii actuum supernaturalium ultimò non perficitur: quia hæc est revocabilis in ipsam bonitatem per essentiam. Rursus bonitas intrinseca Divina, quæ movetur charitas, debet esse talis, ut si illam

actu Deus non haberet, hoc ipso non esset bonus & amabilis infinite: quantumvis autem actu Deus non exhiberet bona supernaturalia, adhuc esset Deus bonus infinite. Denique non ideo Deus est bonus per essentiam & infinite: quia est principium supernaturalium, sed ideo est principium supernaturalium, quia est bonus infinite.

ASSERO II. *Deum prout est Auctor solum naturalium, non esse objectum formale charitatis.*

RATIO eadem quæ supra. Et insuper, quia motivum charitatis non est formalitas Auctoris supernaturalium, Ergo nec formalitas Auctoris naturalium.

ASSERO III. *Deum, prout est radix utriusque illius perfectionis, vel potius prout est bonitas per essentiam, est objectum formale charitatis.*

RATIO, quia sic concepta bonitas, est bonitas ultima & infinita. Idque videtur docere S. Th. 2.2. q. 23. a. 5. ad. 2. una sola ratio inquit, attenditur principaliter à charitate, scilicet Divina bonitas, quæ est ejus Substantia.

§. IV.

Quomodo sumpta bonitas prima, est motivum amoris proximi.

ASSERO I. *Si quis nomine amoris amicitia, seu amoris gratiæ amati, accipiat bonitatem inclusam in ipso amato, nomine autem amoris concupiscentia accipiat amorem propter aliud, seu ratione ejus, quod non includitur in amato, in ista acceptione non posset Creatura amari propter Deum amore amicitia, sed tantum amore concupiscentia.*

RATIO. Quia & amaretur in ista acceptione amore amicitia, & non amaretur; amaretur quidem ut supponit negans, non amaretur autem: quia bonitas increata, non est inclusa in proximo, quem amamus, cum sit entitativè ipsemet Deus.

ASSERO II. *Quod amor amicitia non stet in hoc, amari propter bonitatem inclusam in amante: licet etiam amari possit amore amicitia propter bonitatem sic inclusam.*

RATIO, posterioris partis, est experientia in multis amoribus amicitia. Ratio prioris partis. Tum quia sufficit ad amorem amicitia, ut sit gratia sui, gratia autem sui potest esse, quamvis non fiat propter bonitatem inclusam in ipso amante, de quo infra. Tum quia, Amans amando propter aliquid extrinsecum, posset in hoc amore, utilitatem & bonum non suum quærere; adeoque non amare gratiæ amanti, sed in gratiam amati: consequenter adhuc amare amore amicitia. Tum quia, potest amor amicitia oriri propter bonitatem distinctam realiter ab amato, quantumvis illum possumus etiam amare propter bona identificata illi realiter, v. g. propter dona illius naturalia quæ habet, & propterea quia est homo, mihi similis, modò uterque amor procedat non in gratiam amanti, sed amati. Ergo etiam in præsentem idem dicendum.

Stabit

Stabit itaque amor amicitiae in aliquo positivo, hoc est, quod fiat gratia amati, ex quo tanquam ex radice effluit, non amare in bonum & utilitatem amantis. Unde etiam, quando amantur pueri propter Parentes, poterit esse amor amicitiae, in quantum ipsi Parentes apprehenduntur bonum illorum filiorum, quantumvis ordinariè non amentur, nisi tanquam aliquid Parentum, adeoque non gratia sui, sed ratione Parentum, consequenter amore concupiscentiae. Quoad praesens applicando, si amentur Creaturae respectu Dei, v.g. tanquam utiles gloriae Dei, vel tanquam aliquid Dei praecise in hoc sistendo, etiam amor ille creaturarum non erit amor amicitiae: non enim est gratia illarum, quod si amentur propter Deum apprehendendo, quod sit bonum illarum, esse illas participationem Divinitatis, amabuntur amore amicitiae, procedet enim amor gratia illarum. *Hinc ulterius*

ASSERO III. *Possè amari creaturas propter Deum & amore amicitiae, & amore concupiscentiae.*

RATIO, petitur ex dictis immediate: quia in amore illarum propter Deum, possum ita procedere, ut eas arem, nonnisi tanquam medium gloriae Dei; & eo casu erit amor concupiscentiae: vel possum amare eas tanquam, quibus est bonum, esse participationem Dei, & eo casu amor ille erit amicitiae, erit enim gratia amati.

ASSERO IV. *Quando amantur Deus & creaturae propter bonitatem Divinam, amor ille proficiscitur ab eodem habitu.*

RATIO, quia ex una parte nihil vetat illum ab eodem principio produci, & de cetero PP. faciunt istos amores inter se communicantes. Unde etiam arguit S. Joannes, quod si non amatur proximus, qui videtur, nec ametur Deus, qui non videtur.

ASSERO V. *Quando amantur Deus & Creaturae, propter bonitatem Divinam, illi actus sunt distincti specie.*

RATIO. Quia eadem ratio formalis diversimodè applicata seu diversè conjuncta, adfert diversitatem specificam actuum, & ita assensus Praemissarum & Conclusionum, Principiorum & Habituum sunt diversi specie. Jam autem bonitas Divina, quae est ratio formalis motiva charitatis, immediate coniungitur ipsimet Deitati, mediata creaturis.

DICES I. Exinde sequi, quod amor ille creaturarum non sit actus Theologicae virtutis; assumit enim pro motivo bonitatem participatam seu creatam.

RESPONDETUR. Bonitatem creatam dupliciter spectari posse pro motivo. I. sumi potest, ut in illa sola, saltem pro parte sua accepta, ulterius illam partem non referendo, sistatur; sic sumpta illa bonitas, non est actus virtutis Theologicae: quia pro formali non habet Deum. II. sumi potest ita, ut attingatur bonitas increata, toraque ratio bonitatem creatam amandi, sit bonitas in-

creata, & eo casu, ille actus erit virtutis Theologicae, aliterque se habebit, quam si assumatur principium lumine naturae notum, cum principio revelato: quia principium revelatum in sua partialitate movendi, non refertur in aliquid creatum, secus hic: nam bonitas creatae fertur in incretam.

DICES II. Ergo illa bonitas creata, habebit se nonnisi per modum materialis.

RESPONDETUR, bonitatem creatam comparatam ad id, quod amatur, habituram se per modum formalis, licet potius rationem materialis habeat comparata ad ulteriorem, in quam resolvitur, bonitatem; ad eum modum, quo aliquid diverso modo est Conclusio, diverso Praemissa.

DICES III. Si ratione ultimi motivi, actus ille charitatis est Theologicus, licet fiat propter bonitatem creatam, ex eo quia resolvitur in bonitatem incretam, Ergo etiam electio mediorum erit propter se: quia ultimo & propter finem, quicquid est, propter se.

RESPONDETUR, negando sequelam: quia in ordine electionis, statur nonnisi in ipsa utilitate medii, & in quantum transiit in amorem finis, iam non est electio, sed additio & annexio intentionalis electionis, cum intentione: In ratione autem amoris Theologici, quo amatur proximus, nunquam statur in praecisa bonitate creata; & si stetur, hoc ipso non erit ille actus virtutis Theologicae. *Ad alias Objectiones solvendas*

NOTO I. Cum actus fidei sit actus certissimus, hinc ne pro partiali motivo, assumere debet id, quod non est certissimum. Jam autem actus charitatis etiam Theologicae, non debet esse super omnia, alias creatura quae diligitur propter Deum, diligeretur super omnia, consequenter diligeretur, ut Deus.

NOTO II. Casu quo aliquis assensum revelationi passivae, resolveret in ipsam revelationem activam, in hoc pares erunt revelatio passiva & participata bonitas, quod utrumque ultro resolvatur in aliquid Divinum, sed in hoc sunt dispares: quia hoc, quod non dicit Divinum revelatio passiva, non potest principiare actum fidei Divinae sub formalitate certissima, cum tamen actus fidei debeat esse certissimus. Si autem non principiat sic sumpta revelatio actum certissimum hoc ipso non potest dici, quod assumatur pro motivo fidei Divinae, rejiciturque duplici titulo, & quod non sit quid Divinum, & quod certissimum actum principiare non possit. Jam autem licet rejici debeat a ratione virtutis Theologicae praecisa bonitas creata, in hoc tamen sublevatur: quia illi ipsi amorem exhibemus propter aliquid Divinum, ex alio fundamento non impeditur, quominus principiet & moveat actum Theologicum, cum ut dixi non debeat esse super omnia.

NOTO III. Quod virtutum Theologicarum obiectum debeat statui Divinum non tantum rev-